



## Universitätsbibliothek Paderborn

### Historiae Ecclesiasticae Pars ...

HISTORIAE EC||CLESIASTICAE PARS || PRIMA, QVA CONTI-||NENTVR ||  
Eusebij cognomento Pamphili Cæsareæ Palæ-||stinæ Episcopi lib. 10.||  
Eiusdem de vita Constantini magni lib. 4.|| Oratio Constantini magni ad  
sanctoru[m] cœtu[m].|| Oratio eiusdem Eusebij in laudem Constanti-||ni  
magni ad trigesimum ...

**Christopherson, John**

**[Köln], 1569**

Evsebii Pamphili Episcopi Caesareae Palaestinae, Ecclesiasticae historiae  
Liber Decimus.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-29861**

EVSEBII PAM-  
PHILI EPISCOPI CAE-  
SAREAE PALAESTINAE,  
Ecclesiasticæ historiæ  
Liber Decimus.

*De diuina nobis procurata pace.*

CAP. I.



*Psal. 97.*

Ed patri omnipotenti & rerū vniuersarū regi ac gubernatori sit maxima in omnibus gratia: nec minor etiā filio seruatori ac redēptori animarum nostrarū Iesu Christo tribuatur, per quē precamur, vti pace firma & stabili. perpetuo fruamur, sicq; ab omnib; molestiis, cū quæ extrinsecus importari, tū quæ in ipsa interiore cogitatione oriri solēt vacui liberiq; vitā degamus. Ac quoniā tuis præcibus impulsus, sanctissime Pauline, hunc decimū librū historiæ ecclesiasticæ iā oportune illis libris, qui antegressi sunt, apposuimus, tibi hoc quidquid est laboris dicare, tuoq; nomine in lucē edere institui: in quo velut fastigiū toti operi imponētes, tuas laudes prædicabimus. Merito igitur hoc loco in numero perfecto, perfectā & absolutā panegyricā orationē ad dei gloriā illustrādā, cuius auxilio ecclesiæ denuō ædificatæ sunt, accurate cōtexemus: idq; diuino spiritui obsecuti, hoc fere pacto nos cohortanti: Cātare domino canticū nouū, quia mirabilia fecit. Seruauit sibi dextra eius, & brachiū sanctū eius. Notū fecit dominus salutare suū, in cōspectu gentiū reuelauit iustitiā suā. Idcirco sacrosancto dei eloquio hoc nobis canticū recolēdū præcipiēti, hoc nostro sermone cōcinne applaudam: idq; propterea, quod post acerbis & tristes illas ærūnas partim sub oculorū aspectū, partim sub audiendi sensum subiectas, tales res in præsentia cernere, tales etiā laude & præconio efferre per dei gratiā poterimus, quales ante  
nostra

nostra tēpora multi reuera iusti, & sancti dei martyres cu-  
 pierūt in terra videre, & non viderūt, audire & non au-  
 dierūt. Verū hi quam celerrimo cursu sublatis ad superos,  
 res multo præstabiliores sunt cōsecuti, & in ipso cælo, &  
 paradiso diuinis deliciis perfruuntur. Nos autē hęc be-  
 neficia maiora, quam nostræ vitæ cōditio fert, cōfidentes  
 sicut egregiā Dei eorundē authoris magnificentiā oblitu-  
 piscimus: lic illū optimo iure totius animæ viribus colē-  
 tes, summe celebramus, & sacras prophetæ prædictiones  
 scriptis proditas, veras esse testificamur, in quibus dicitur:  
 venite & videte opera domini, quæ posuit prodigia  
 super terrā, auferēs bella vsq; ad finē terrę Arcū cōteret  
 & cofringet arma, & scuta cōburet igne. Pro quibꝰ adeo  
 euidēter in nobis expletis, magnopere lætemur, & deinceps  
 ad ea, quę sequuntur pergamus. Vniuersum impiorū  
 genus eo modo, qui supra est demōstratus, deletū & ex-  
 tinctū est, & ex hominū cōspectu subito ita euanuit, vt aliud  
 Dei oraculū videatur ad exitū peruenisse, quod sic  
 loquitur. Vidi impiū superexaltatū, & eleuatū, sicut Ce-  
 dros Libani, & trāsui & ecce non erat, & quesui locū eius,  
 & non est inuentus. Dies iā de cætero serena & splendida,  
 quā nulla nubes sua opacat vmbra, claris cælestis luminis  
 radiis, ecclesijs Christi per vniuersum orbē effulcit. Neq;  
 gētilibus hunc nostrum insignem triumphum deus inuidit,  
 sed eos ex æquo nobiscum omnium bonorum, quę nobis  
 cælitus demississet benignusq; suppeditasset effecit  
 participes.

Psal. 45.

Psal. 37.

## De ecclesiarum renouatione. CAP. II.

Vniuersum igitur humanū genus graui tyrānorū op-  
 pressione liberatū est. Atq; vt alii prioribus malis,  
 quibus cōflictari erāt, alia ratione piorū propugnato-  
 rem, solum verum deum esse ingenue confessi sunt:  
 sic nos in primis, qui spem in Christo Dei defixam habebamus,  
 incredibilem lætitiā aīo percepimus. Quinetiā omnium  
 nostri mentes diuino quodam & cælesti gaudio triumpharunt,  
 dum singula loca tyrannorum sceleris & impietate paulo  
 antè diruta, tanquam post diurnam & mortiferam vastitatem  
 iam quodam modo reuiuiscere, & templa solo æquata,  
 ab ipsis fundamentis

mentis

## EVSEBII HISTORIAE

mentis denuo ad mensam altitudinem erigi, & multo maiore splendore atque amplitudine quam illa quæ dudum eversa erant illustrari videbamus. Imperatores item ipsi, qui summam rerum obtinebāt, ratis legibus pro Christianis sancitis, Dei in nos munificentia perma-  
gnam quasi accessionem adiunxerunt. Imperatoris enim Constantini literæ ad episcopos missæ: quibus & honores fuere illis delati: & donata pecunia: quarū literarum voces latino sermone non a ratione alienum erit, vbi oportunum tempus de illis differendi se offeret, in hoc libro, tanquam in illustri quadam tabula inscribere, quò immortalis memoriæ ad omnem posteritatem omnino commendentur.

*De enceniis ubique locorum celebratis.*

CAP. III.

*Ezech. 37*

**D**Einceps celebre spectaculum, nobis omnibus optabile & vehementer desyderatum ante omnium oculos proponebatur: dedicationum scilicet festiuitates per vrbes singulas: templorum nuper exadificatorum consecrationes: frequentes episcoporum in vnū conuentus, peregrinorum longe ab exteris regionibus accedentium concursus: mutua populi in populum beneuolentia, propterea quod membra corporis Christi in vnā quasi harmonia & concentus conspirationem coibant. Quapropter aptè admodum & conuenienter oraculo prophetico, quod futurum erat, mystice præsignificanti: os ad os, & iunctura ad iuncturam coalescebat: & alia eius generis quæ diuinus sermo per obscura quædam & inuoluta ænigmata deinceps vere profatus est in eandem sententiam. Vna erat sacri spiritus virtus & potentia, quæ per vniuersa ecclesie membra permeauit: vna omnium mens & sententia, vna & eadem fidei propensio ac studium, vna ex omnium ore & consentiens diuinitatis laus: perfectus etiam in summis ecclesie præfectis cultus & obseruantia: accurata sacrorum mysteriorum administratio: decori ecclesie ritus, interdum psalmodiū cantu, & cæteris hymnorum diuinitus nobis traditorum recitationibus, nonnunquam diuinis & mysticis ministris.

ministeriis exequendis celebrati: erant item arcana passionis seruatoris symbola. Cuiusque item ætatis genus, cuiusque sexus multitudo, vt maris & fœminæ, totis cogitationis viribus, læta mente, alacri animo per preces, & gratiarum actiones, Deum omnium bonorum authorem venerati sunt. Singuli etiam ecclesiarum præsidēs, qui in conuentibus aderant, singulas orationes panegyricas habuerunt: & vt vis & facultas dicendi suppetebat cuique, sic quisque eam celebritatem prædicauit. Tyri autem vir quidam valde modestus, progressus in medium, orationē accurate contextam, in ipsa crebra ecclesiæ frequentia, multis præsentibus gregis Christi pastoribus, qui quiete & decore audientiam fecerunt, recitauit: inq; ea nominatim vnum solum episcopum, facile præstantissimū, deoq; charissimum (cuius opera ac studio egregium templum ibi, quod splendore omnia templa gentis Phœniciæ longe superabat, magnifice fuit extructum) summis laudibus extulit: sicq; dicere ingressus est.

*Oratio panegyrica pro ecclesiarum exædificatione recitata,  
& Paulino Tyriorum episcopo dedicata.*

CAP. IIIII.

**A**Mici Dei, & sacerdotes, qui sacrosancto podera indumento, cœlesti gloriæ corona, diuina vnctione, & sacrata sancti spiritus stola circumvestiti, tuq; venerandum noui ac sancti Dei templi decus Pauline, qui eximie prudentiæ insignibus à Deo exornatus, egregia florentis & integræ virtutis opera, actionesque edidisti, cui ipse Deus, qui vniuersum mundum suo complexu continet, sui in terra domicilij ac templi exædificationem renouationemq; ad Christi, vnici & primogeniti ipsius verbi, sanctæq; & decoræ eius sponsæ ecclesiæ honorem concessit: siue quis te nouum Beseleel diuini tabernaculi architectum velit appellare, siue Salomonem nouæ Hierusalem veteri illa longe præstantioris regem, siue etiam nouum Zorobabel, qui templo Dei multo maiorem splendorem, quàm quò antea nitebar, adiecit: quin etiam vos compello, o sacri gregis Christi oues, diuini

D d            verbi

## EUSEBII HISTORIAE

verbi familia, schola modestiæ, augustum & diuinum pietatis auditorium: quemadmodum nos iam olim, admirabilia Dei prodigia, & miracula à Domino edita, eiusque in illis beneficia in homines declarata, per diuinas sacre scripturæ lectiones auditione accipere poteramus, & ita diuinitus instituti cum Dauide hymnos & pias cantiones in Deum resonare hoc pacto (Deus auribus nostris audiuius, patres nostri annunciauerunt nobis: opus quod operatus es in diebus eorum, in diebus antiquis) sic iam deinceps non auribus & verborum sono brachium excelsum, & dextram cælestem Dei omnium bonorum auctoris, summi nostri regis percipere, sed re & factis (vere dicam) & oculis coram, rerum gestarum, quæ quondam erant memoriæ proditiæ, fidem & veritatem intueri, & propterea hunc secundum victoriæ hymnum merito canere possumus, & ita perspicue eloqui ac dicere cum propheta: sicut audiuius sic & vidimus, in ciuitate domini virtutum, in ciuitate Dei nostri. At in qua tandem ciuitate? nunquid in hac, quæ nuper à Deo extructa & fabricata est, quæ est ecclesia Dei viuentis, columna & firmamentum veritatis? de qua sic etiam aliud diuinum oraculum annuntiat. Gloriosa dicta sunt de te ciuitas Dei. In quam, cum Deus omnis boni largitor nos per gratiam vnigeniti filij sui congregauerit, quisque eò accersitus sic voce & sermone decantet. Lætatus sum in his quæ dicta sunt mihi, in domum domini ibimus. Et iterum: Domine dilexi decorem domus tuæ, & locum habitationis gloriæ tuæ. Ac non singuli solum, sed simul vniuersi vno spiritu, vnoque animo Deum venerantes personemus: Magnus Dominus & laudabilis nimis, in ciuitate Dei nostri, in monte sancto eius. Etenim reuera ipse magnus est, & magna domus eius, excelsa, ampla, & pulchritudine speciosa præ filiis hominum. Magnus dominus qui facit mirabilia solus: magnus qui facit magna & inscrutabilia, gloriosa & eximia, quorum non est numerus. Magnus qui occasionum & temporum vicissitudines commutat, qui deponit reges, & constituit: suscitans à terra inopem, & de stercore erigens pauperem. Deposuit potentes de sede, & exaltauit humiles à terra. Esuriētes

*Psal. 43.*

*Psal. 47.*

*1. Tim. 3.*

*Psal. 83.*

*Psal. 121*

*Psal. 25.*

*Psal. 47*

*Psal. 112.*

*Luc. 1.*

tes

res impleuit bonis, & brachia superborum contriuit. Vnde non fidelibus solum, sed infidelibus etiam res olim à se gestas in sacris literis memoriæ proditas veras esse confirmauit ille ipse, qui est rerum admirabilium opifex, qui magnarum architectus, qui vniuersarum Dominus, qui totius mundi fabricator: qui omnipotens totus bonus, vnus & solus Deus. Cuius spiritui obsequentes, nouum canticum cantemus ei, qui facit mirabilia solus: quoniam *Psal. 135* in seculum misericordia eius: ei qui percussit reges magnos, & occidit reges fortes: quoniam in seculum misericordia eius: quia in humilitate nostra recordatus est nostri Dominus & redemit nos ab inimicis nostris. Atque hisce præconiis primum omnium rerum parentem & procreatorem celebrare non aliquando desistamus. Secundum etiam bonorum authorem, diuinæ cognitionis explicatorem, magistrum veræ pietatis, impiorum euersorem, interfectorem tyrannorum, rectum vitæ moderatorem, nostri omnium, cum essemus reprobati & reiecti, seruatoré Iesum ore concinentes veneremur. Nam solus ille benignissimi patris benignissimus & vnigenitus filius, paternæ clementiæ desiderio moré gerens, nostri naturâ, qui in peccatorum corruptione & eluie volutati iacebamus, libenter induit: & tanquam medicus longe præstantissimus, tristes & ærumnosos ægrotantium morbos, quò illis largiatur salutem, intuetur, horrida & tetra vlcera contrectat, & propter alienas calamitates, proprio ac suo corpore dolores exhaurit. Qui nos non modo morbo vexatos, grauibus vlceribus, & sanie tabescentibus vulneribus oppressos, sed iam in numerum mortuorum relatos, ex ipso opaco mortis recessu ad suam gloriâ participandam recuperauit. Quippe nemini alij eorum, qui in cælo fuerunt, tantum suppetebat roboris, vt tot perditos homines re quidem ipsa posset ad salutem reducere. Solus igitur Christus, graue onus nostræ afflictæ & calamitosæ corruptionis in se suscepit, solus nostros exantlauit labores: solus multâ pro impietatibus nostris subiit: solus non semineces, verum omnino in monumētis, in sepulchris fœtidos, & iâ grauiolētes restituit: solus & olim & iam studio suo, & cura beneuola præter cuiusq; nostri

EVSEBII HISTORIAE

ipforum spem & expectationem seruauit: solus denique magnam paternorum bonorum affluentiam nobis imper-  
 tit: qui est vitæ author, lucis largitor, magnus & eximius  
 noster medicus, rex, Dominus & Christus Dei. Et sicut  
 quondam, cum humanum genus vniuersum, dæmonum  
 impiorum fraude, & malignorum spirituum conatu esset  
 quasi nocte quadam obscura, & densa caligine obte-  
 ctum, obrutumq; semel ipse solus apprensus ardentibus luminis  
 sui radiis, multiplices & tortuosas scelerum nostrorum  
 catenas tanquam ceram igne liquefactam dissoluit: ita  
 iam cum propter tantam gratiam, propter tantum benefi-  
 cium, inuidia omnis virtutis inimica, & scelestus dæmon  
 totius probitatis hostis, prope præ iracundia disruptus  
 esset, & omnes suas lethales ac mortiferas copias aduer-  
 sum nos iustruxisset, & primum instar rabidi canis dentes  
 in lapides contra ipsum proiectos illisisset, & furorem  
 suum, qui contra pios viros, aduersarios suos incendi so-  
 let (dum immanem suam ac plusquam belluinam rabiem  
 in lapides templorum, & inanimam sacrarum ædium ma-  
 teriam conuertebat, & ecclesiarum vastitatem ac ruinam,  
 sicut ipse secum putauit, edebat) in tela inanima expuis-  
 set, cumque deinceps horrenda sibila & serpentinas ipsius  
 ac pestiferas voces, nonnunquam per impiorum tyranno-  
 rum minas & terrores, interdum per nefanda & contume-  
 liosa perditorum principum decreta profudisset, exitia-  
 leque mortis virus ex faucibus euomisset, & lethalibus  
 ac perniciosis venenis, animas à se inescatas infecisset, &  
 mortiferis mortuorum simulachrorum victimis eas ferè  
 ad æternam mortem trussisset, & homines belluina imma-  
 nitate efferatos cõtra nos incitasset, eosq; omne crudeli-  
 tatis genus in nos exercere coegisset, rursus quasi de inte-  
 gro ille magni consilij angelus, potentissimus omniũ rex,  
 summus Dei dux, postquam fortissimi regni ipsius mili-  
 tes erant omni tormentorũ genere, quæ patienter & con-  
 stanti animo pertulerat, satis superq; exercitati, ex inopi-  
 nato sese ostendit, omnesque hostes & inimicos suos ita  
 penitus deleuit, & redegit in nihilũ, vt ne nominari quidẽ  
 aliquando videatur: & quos sibi charos, quos amicos ha-  
 bebat, apud oẽs, non homines modo, sed cælestes etiã po-  
 tētia.



restates, solem, lunam, sydera, cœlum ac mundum vniuersum præter omnium opinionem ad tantam gloriam euexit, ut iam (quod quidem non alias) summi imperatores, honorem, quem sunt ab eo consecuti, plane sentientes, in detestabiles mortuorum idolorum vultus ac effigies expuant, profanos dæmonum cultus poterant, veterem errorem à patribus ductum irrideant, unum solum deum communem cum omnium, tum ipsorum patronum agnoscant, Christum dei filium summum vniuersorum regem fateantur, eum seruatorem inscriptionibus in columnis incisis pronuntiet & præclara eius facinora, victoriasque contra impios partas literis maiusculis ad perpetuam memoriam in tabulis media in vrbe, quæ totius orbis terrarum regina est collocatis, scite describendas curarint: adeo ut ex omnibus qui à primo æuo extiterint, solus Iesus Christus seruator noster, ab imperatoribus qui summum in terris principatum obtinent, non tanquam rex ab omnibus de more constitutus esse concedatur, sed ut ingenuus dei omnipotentis filius, & Deus ipse vniuersitatis moderator summa veneratione dignetur. Idque planè meritisimo. Nam quis vnquam regum tantum virtutis ac potentie nactus est, ut nomen suum ita posset propagare, uti omnium hominum aures percelleret, inque omnium ore ac sermone versaretur. Quis princeps leges tam pias tamque modestas instituit easque tam firme constabiliuit, ut omnes homines ab ultimis terræ oris, ad extremos usque totius mundi terminos cum illas approbarent, tum iisdem sua sponte morem gererent? Quis gentes indomitas, moribus barbaras ac immanes, legibus quantumuis mansuetis & benignis repressit? Quis tot integris seculis ab omnibus oppugnatus, virtutem & potentiam, quæ supra hominem putanda est, ostendit, ita ut in dies singulos magis magisque floreret, & per omnes hominum ætates reuiresceret? Quis gentem, de qua non aliquando ab omni seculorum ætate auditum fuerat, non dico in aliquo terræ angulum clanculum abdidit, sed passim in vniuersum terræ orbem qui sub sole est diffudit? Quis pietatis armis milites suos adeo muniuit, ut animos adamante duriores robustioresque in certaminibus præliisque contra aduersarios susceptis declararent?

## EUSEBII HISTORIAE

Quis vnquam regum post mortem tantum viribus ac po-  
 tentia valuit, tot bella gessit, tot trophæa contra inimi-  
 cos statuit? Quis denique tam regalibus tamq; magnifi-  
 cis palatiis, tam præclaris templis auguste consecratis om-  
 nem locum, regionem & ciuitatem tam Græcorū quàm  
 Barbarorum illustrauit? Egregia autem huius templi or-  
 namenta monumentaque, quæ sunt tam augusta reuera,  
 tam magnifica, tanta admiratione digna, & velut illustres  
 imagines, regnū seruatoris ob oculos nostros statuen-  
 tes, (quoniam etiam iam ipse dixit & facta sunt, ipse man-  
 dauit & creata sunt: etenim potentia ipsius verbi Dei  
 summi omnium regis & moderatoris à nemine resisti po-  
 terat) accurate considerare, & quid singula eorum sig-  
 nificent, disquirere, proprio quodam otio & separato  
 egerent: neque ea solum, verum etiam propensum stu-  
 dium eorum, qui in hoc templo ædificando laborem  
 suum & operam posuerunt, quale sit, & quanti æstime-  
 tur ab ipso Iesu Christo, quem diuinis laudibus efferi-  
 mus, qui viuum animorum nostrorum templum intue-  
 tur, qui domum ex viuis incedentibusque in terra lapi-  
 dibus constructam, beneque & firmiter super fundamen-  
 tum Apostolorum & prophetarum locatam contempla-  
 tur: cuius lapis angularis ille ipse est: quem tamen non  
 solum veteris illius ædificij, quod iam dirutum est, sed  
 huius etiam, quod nunc ex multis hominibus constat,  
 architecti mali, ex malis edocti penitus reprobarunt, ta-  
 men pater & olim, & iam approbans, in caput anguli ec-  
 clesiæ quæ est omnium nostri communis collocauit.  
 Hoc igitur ex nobis ipsis extractum viuū viuientis Dei té-  
 plum, maximum & maxime vero Dei verbo decorum sa-  
 crarium, cuius intima adyta, quæ sub vulgi aspectum cade-  
 re non possunt, quæ reuera sancta sunt, & sancta sancto-  
 rū, quis aliquando introspexisse se audeat affirmare? Quis  
 oculos suos intra sacros eius ambitus iniicere potest, nisi  
 solus magnus ille & summus omnium pōtifex, cui soli fas  
 est cuiusq; animæ rationalis arcana perscrutari? Verum  
 forsitan etiam vni alteri (duci nimirum, qui isti exercitui  
 & gregi Christi præsidet) proxime secundum eum simili-  
 ter huius muneris potestas datur obeundi: cui ipse primus  
 & ma-

Esat. 148

& magnus pontifex Christus secundas in templo quod hic apud nos est, impertit: quē pastorē vestro sancto gregi præfecit: quē cōsensu & iudicio patris, vestri populi moderatorem designavit: quem tanq̄ ministrum & interpretē nouum Aaron, aut Melchisedech effigiem filii Dei representantē, manentē & cōmunibus vestri omniū precibus ab ipso domino ad immortalem gloriam reseruatū cōstituit. Deferantur igitur huic soli post primum illū & maximū pontificē, Etli nō primæ, at secūdæ partes intimam animorū vestrorū cogitationē contēplandi inspiciendiq; . Qui iam cum multa experiētia, tum prolixo tēporis spatio in vnūquemq; vestrū accurate inquisiuit: quiq; magno studio & diligenti cura oēs vos modestia, & vero pietatis verbo instituit: qui deniq; potest præ ceteris earū rerum, quas ipse diuina ope adiutus peregerit, rationem reuera exquisitam reddere. Quemadmodū autē summus & magnus noster pontifex Christus, quæ patrē facientē videt, eadē (ita de se ipse loquitur) similiter & ipse facit: Sic iste pontifex in summum pontificem Christum, tanquam in magistrum synceris mentis oculis intuens, quæ eum facere animaduertit, illorum quasi archetypis vsus exēplaribus effigies, quoad eius fieri potest, tanq̄ probus artifex simillime ad ea ipsa exprimit: nihilo plane inferior ipso Besileel, quem Deus diuino spiritu sapientiæ, intelligentiæ, & reliquæ artificiosæ solertisq; peritiæ imbuit, & ad tabernaculū siue tēplum exædificandū (quod cœlestia mysteria per symbola quedā & notas adūbraret) accersuit. Eodē modo igitur isto viuā Christi totius Dei verbi, sapientiæ, luminis imaginē suo ipsius animo figurans, ne dici quidem potest, quanta cum magnificentia, quam liberali & immensā animi alacritate, quanta cū omniū vestrū ad eam rem propensione ac studio (qui liberali sumptuum & munerum collatorū amplitudine tam enixe, tamq̄ benefice prospexistis, ne quicquam eius proposito, vllō modo deesset) magnificentum & egregiū Dei altissimi tēplum, quod oculis cerni potest, simile plane natura sua exemplari, præstantioris templi, quod sub sensum humanum non cadit, fabricatus sit. Hunc autem locum (par est enim primum

EUSEBII HISTORIAE

omnium de eo verba facere) quæ hostes præ maliuolentiâ  
 omni spurca & impura materia ac sordibus exaggerauerant, iste minime neglexit, neq; eorum qui eius nequitia  
 erant authores, cessit improbirati, idque cum licuisset ad  
 alium locum (alii namq; ferè infiniti erant in ciuitate)  
 perrexisse, sicque permagnam laboris repperisse leua-  
 tionem, & multis molestiis se penitus expediuisse. Iste  
 tamen primum se applicauit ad opus: deinde vniuersum  
 populum propensa animi intentione ad illud excitauit:  
 & simul atque ingentem manû turbamq; ex omnibus co-  
 egerat, primû laboris certamen ille ipse obiit: consenta-  
 neum sane ratus, vt ista cum primis ecclesia, quæ fuisset  
 ab hostibus expugnata, quæ graues ruinas passa, quæ per-  
 secutionis imperus cum ante nos, tum vnâ nobiscum su-  
 stinuisset, quæ instar matris liberis suis orbata esset, sin-  
 gularis beneficentiæ beneficentissimi domini nostri ac  
 seruatoris particeps nobiscum fieret. Postq; enim visum  
 fuit magno nostro pastori Christo, feris, lupis, & omni  
 immani agrestiq; belluarû genere abactis, & dentibus le-  
 onû, vt diuina oracula loquuntur, contritis, filios suos in  
 vnû de integro cõuocare, gregi suo ouile quoddâ egre-  
 giû meritissimò quidè erexit, quo inimicû cõfunderet &  
 vltorè: & detestabiles impiorû conatus profusus retunde-  
 ret. Atq; hi quidem Dei ocores iam non sunt, quoniâ nõ  
 omnino erant, qui ad exiguû tẽpus, nõ solum aliis exhi-  
 buere molestias, verû etiam ipsi iisdem conturbati fuere:  
 suppliciûq; deinde æquum debitumq; subeûtes, seipfos,  
 amicos, domos & familias suas funditus euerterunt: adeo  
 vt vetera vaticinia in sacris literis perscripta rata reuera  
 & fidelia cõprobentur: in quibus diuinus sermo cum alia  
 verè asseuerat, tû ista etiâ de his impiis euidenter pro-  
 nuntiat: gladiû extraxerûnt peccatores, intenderunt arcû  
 suum, vt percutiant pauperè & inopè, & trucident rectos  
 corde. Gladius eorû intret in corda ipforû & arcus eo-  
 rû cõfringatur. Et iterû. Perit memoria eorum cum so-  
 nitu, & nomen eorû delesti in æternû, & in seculû seculi.  
 Quoniam cum in malis erant, clamauerunt, & non erat  
 qui saluos faceret, ad dominû & nõ exaudiuit eos: quin-  
 etiam ipsi obligati sunt & ceciderûnt, nos aut̃ surreximus,  
 & cre-

*Psal.* 36.

*Psal.* 9.

*Psal.* 17.

*Psal.* 72.

& erecti sumus. Atq; illud quod his verbis elatum erat, (domine in ciuitate tua imaginé eorú ad nihilú rediges) iam oculis cuiusq; verú apparet. Cæterú vt hi, giantiú more bellare cum Deo neutiquá veriti, talem sunt vitæ exitum consecuti: Sic ecclesia Christi, quæ opinione hominum deserta & desperata erat, propter singularé patientiá tormentorú, ob dei amoré susceptorú, talé exitum habuit, qualis iam perspicue cernitur: vsq; adeo vti Esaie propheta pulchre illi cõsentiat. Letare deserta solitudo, quæ exiccata es. Exultet solitudo, & floreat vt lilium. Et florebüt, & exultabunt loca deserta: roborámini manus languétes, & genua debilia: consolationé capite pusillanimi mente: cõfortamini ne timeatis: ecce deus noster iudiciú reddit, & reddet: ipse veniet & seruabit nos: quoniam, inquit, erupit in deserto aqua, & vallis in terra sitiente, & arida erit in paludes, & in terram sitienté fons aquæ erit. Atq; vt ista olim verbis diuinitus prædicta, sacris literis cõmendata sunt: sic euenta eorú non amplius auditione, sed re ipsa nobis traduntur. Solitudo hæc quæ est in aquosa vidua quæ consolatione destituta, cuius in sylua lignorum securibus exciderunt ianuas eius in id ipsum, quâ in securi & ascia cõtriuerunt, cuius libros corripendo, incenderunt igne sanctuariú dei, in terra poluerunt tabernaculú nominis eius, quam vindemiarunt oēs transeuntes per viam, dirueruntq; eius sepes, quam exterminauit aper de sylua, & singularis ferus depastus est, admirabili Christi potentia iam cū ei visum sit, iterú floreat vt liliú. Quippe sicut id tēporis etiam ipse nutu & virtute, tanq; à patre diligenté curá de ea suscipiente castigabatur (quæ enim diligit dominus castigat: flagellat omné filiú, quæ recipit) sic vbi iam satis castigata est, rursus de integro cõlitus exultare præcipitur. Efflorescit, vt liliú, & diuinum suum odoré in oēs homines efflat. Quoniam inquit erupit aqua in deserto: hoc est riuus salutaris lauacri in quo diuinitus ingenerati sumus. Et iam solitudo quæ ante arida erat, in stagna dissoluta est & in sitientem terram ebullit fons aquæ viuientis. Manus quæ prius languidæ erant sunt reuera roboratæ. Atque hæc præclara & illustria monumenta exempla quæ oculis

Esa. 35.

Psal. 73.

Psal. 79.

Hebr. 12.

## EVSEBII HISTORIAE

eernimus sunt manuum roboratarum opera. Quin etiam  
 genua, quæ iam pridè debilitata erant, & dissoluta, pro-  
 prio gressu fruuntur, rectam diuinæ cognitionis semitam  
 insistant, & mature ad propriû & familiarè gregè summi  
 & benignissimi pastoris Christi festinant. Quod si qui  
 minis tyrannorum perterriti, animis obtorpuerunt, ne  
 istos quidè salutaris dei sermo curationis patitur exper-  
 tes esse, sed eos benigne admodum sanat, & ad verum  
 diuini numinis solatium percipiendum incitat dicens.  
 Consolationem capite pusillanimi mente. Confortami-  
 ni ne timeatis. Iste nouus noster & præclarus Zoroba-  
 bel, quoniam solerti & perspicaci mentis intelligentiâ  
 percipiebat diuinum sermonem, prædicentem solitudi-  
 nem illam, ecclesiam dico, propter dei amorem vastatam,  
 post acerbam captiuitatem, & abominationem desolati-  
 onis, his commodis, quæ supra posui, portituram, ob eam  
 causam non mortuum istud ecclesiæ cadauer aspernatus  
 est, sed primo omnium obsecrationibus, ac præcibus,  
 communi omnium vestri consensu, patrem placatum &  
 propitium effecit, & solum eum, qui mortuis vitam tri-  
 buit, auxiliatorè & adiutorem sibi asciscens, ecclesiâ hanc  
 prolapsam, simul ac eam purgauerat, & sordes inde pe-  
 nitus exemerat, erexit: deinde non veteri ornatu, quem  
 olim habuerat, decorauit, sed qualem à diuinis eloquiis  
 didicerat, manifestò ita referentibus: Erit gloria domus  
 huius posterior, longe supra priorem. Ob quam causam  
 vniuersum locum multo amplioribus terminis circum-  
 scribens, exteriorum ambitum muro vndiq; muniuit, vt  
 firmissimum totius operis propugnaculum existeret.  
 Ingens vestibulum in sublime erectum versus orientis  
 solis radios protendit, vt iam qui longe extra sacros il-  
 lius ambitus consistant, ex eius aspectu perfacilem con-  
 iecturam facere possint, eorum quæ sunt intus tam arti-  
 ficiose fabricata. Quin etiam Gentiles ipsi non parum  
 ad primos eius introitus contemplandos alliciuntur,  
 vnde nemo ipsum templum præterit, qui non sicut pri-  
 oris vastitatis recordatione renouata non exiguum do-  
 lorem, sic ex hoc eius admirabili & diuino opificio per-  
 magnâ lætitiâ animo capit. Cuius quidè opificii aspectu,  
eum

Ms. 35.

eum qui superiorem eius euerfionem deploraret, hic no-  
 fter sperabat ita prolestatum iri, vt in ipsum templum li-  
 benter ingredi vellet. Ei autem qui portas iam ingressus  
 fuerit, non fit potestas impuris & illotis pedibus statim  
 in sancta sanctorum ascendendi, sed immensa quedam inter inta-  
 mū sanctuariū, & primos introitus intercedit intercape-  
 do, quæ quatuor obliquis porticibus tanquā in gyrū deco-  
 rata est: locus autē sanctuarii in specie quadrati columnis  
 sublimib⁹ est vndiq; circūseptus: quarū media interualla  
 sunt interstitiis ligno, instar retis, aut transfennæ cancella-  
 tis, in mediocrē & æquabilē lōgitudinē porrectis circū-  
 clusa, mediū sanctuarium desuper apertū & patēs relictū,  
 quò cœlū suspiciatur & subtilis aer lucis radiis collustra-  
 tus intromittatur. Deinceps fontes ex aduersā fronte tē-  
 pli profluenti aqua redundātes positi, quibus oēs qui in  
 sacros tēpli ambitus introeunt sordes corporū abluant;  
 qui fontes sacrosancta Baptismatis lauacra representant.  
 Atq; hic locus in quo singuli introeuntiū primū vt se la-  
 uēt morantur, sicut cuiq; ornatū & splendorē affert, sic  
 illis, qui primis fidei principiis instituēdi sunt, mātio per-  
 cōmoda est ad acquiescendū. Quinetiā quo istas res ad  
 oculos capiendos magna operū varietate cōcinne illu-  
 straret, aditus ad templū patentes, pluribus porticibus  
 intrinsecus fabricatis confecit. Rursus ex vno templi la-  
 tere, quod ad solis radios vergit, tres portas construxit:  
 quarum mediam duabus aliis vtrinque collocatis magni-  
 tudine, & laxitate ad maiorem amplitudinē longe præ-  
 stare cupiens, repagulis æneis & ferro obductis colliga-  
 tisq; variis cælaturis artificiose expolitis, eam exorna-  
 uit, eiq; tanquam decumanæ portæ, custodes præfecit.  
 Eodem modo porticibus ex vtraq; parte templi positis  
 parem vestibulorum numerum adiecit, & in his desuper  
 varias fenestras ad templum maiore luce collustrandum  
 excogitauit, easque subtili & arguto opere ex ligno  
 confecto perpulchrē variauit. Sanctuarium autē locuple-  
 tiore, splendidioreq; materia vestiuit vndiq;, inque ea  
 extruenda, affluentī sumptuum magnificentia vsus est.  
 Verum templi longitudinem latitudinēq; describere, &  
 insigne eius decus, amplam magnitudinem, quæ omnem  
 facile

E V S E B I I H I S T O R I A E

facile orationem superat, splendidum operum aspectum, fastigii altitudinem prope ad cœlum pertingentē, eximias deniq; cedros Libani superiectas, hoc loco dicēdo profēqui superuacaneū arbitror: quorū mētione diuina eloquia minime silētio prætereant, sic locuta: *Lætabūtur ligna domini, & cedri libani, quas plantauit.* Quid at tinet iam solertis & perpolitæ fabricæ descriptionem, summamq; pulchritudinem, quæ in quaq; parte mire re- lucet exquisite explicare, præsertim cum oculis melius perspici possit, quam verbis exprimi. Porro Sanctuario hoc modo absoluto & perfectō, sellisq; quibusdam in altissimo loco ad præsidium ecclesiæ honorem collo- catis, subselliis præterea vndique ordine dispensatis de- core eximieq; exornato, altariq; denique tanquam sancto sanctorum in medio sanctuarii sito, ista rursus, vt à plebe & multitudine eò non posset accedi, cancellis ex ligno fabricatis circumdedit: qui adeo artificiosa soler- tia ad summum elaborati sunt, vt mirabile spectaculum intuentibus exhibeant. Imo ne solum quidem templi ab eo iacebat neglectum: nam marmore summo cum or- natu, stratum illustrauit. Iam de cetero exteriores san- ctuarii partes aggressus, exedras, & ædículas vtrinque maximas illas quidem perpolite extruxit, eaq; ad late- ra eius affabre coagmentauit, atque adeo ad fenestras inferioris templi affixit. Quæ eorum causa, qui purga- tione & aspersione per aquam & spiritum sanctum ege- rent, hic noster placidissimus Salomon huius templi dei ædificator effecit, vt non amplius verbo, sed re ipsa & ve- ritate prophetia cœlitus edita, expleta cerneretur. facta est enim iam vere gloria domus huius posterior, supra priorem. Pari ratione ecclesia catholica quæ antehac Tyrannorum insidiis obruta erat, & diaboli hostis pro- bitatis, tanquam apri de sylua incursionibus vastata, iam per gratiam Seruatoris omni impura & scelesti tyranni- dis stirpe purgata est, & post abominationem desolatio- nis ad maiorem splendorem, quam qui prius in ea eluce- bat, restituta, præter omnium opinionem mirifice enitet, adeo vt gloria eius posterior priorem excellat plurimū. Nam quoniā pastor illius & domin<sup>9</sup> Iesus semel pro ipsa mortem



mortem appetiit, & post passionem, corpus mortale & caducum, quod eius gratia induerat, in gloriosum & immortale commutauit & carnem morti obnoxiam ex corruptione ad immortalitatem traduxit, idcirco par erat & rationi consentaneum, vt illa non aliter atque seruator mira ratione commutaretur. Et quamquam promissionē rerum, hisce quibus iam fruitur longe præstabiliorem accepit, & propterea maiorem regenerationis gloriam in resurrectione corporis incorruptibilis cum choro angelorum lucis æternæ in ipsa Dei regia supra cælos sita cum Christo Iesu eius patrono & seruatore ad secula deinceps sempiterna percipere desyderat: tamen interea loci in hoc præfenti seculo, ea ipsa quæ pridem vidua & deserta solitudo fuit, his per Dei gratiam circumuestita floribus, facta est (vt prophetia loquitur) reuera vt lilium. Atque quo pacto veste nuptiali accepta, & corona decoris ornata, velut choreas ducere, ad gratias deo regi agendas & ad eum lætis vocibus honorandum per Hesaiam doceatur, eam ipsam loquentem audiamus. Exultet anima mea in domino. Induit enim me veste salutis, & tunica lætitiæ circumdedit me, tanquam sponsum mitra, & tanquam sponsam decorauit me ornamento: & sicut terra augens florem suum, & vt hortus seipsa sua oriri faciet sic dominus Deus oriri fecit iusticiam, & exultationem coram vniuersis gentibus. His igitur ipsa gestit & tripudiat: sed quibus sponsum, sermo cœlestis ipse Iesus Christus ex aduerso illi respondeat, audi dominum dicentem. Ne timeas quod confusa fuisti, neque reuereris, quod exprobrata. Quia ignominia perpetua obliuisceris, & probri viduitatis tuæ non recordaberis. Non vt mulierem desertam & pusillam animo vocauit te dominus, neque vt mulierem ex iuuentute odio habitam, dixit deus tuus: tempore exiguo dereliqui te, & in misericordia magna miserebor tui. In ira exigua auerti faciem meam abs te, & in misericordia æterna miserebor tui, dixit qui liberauit te dominus. Surge surge, quæ bibisti ex manu domini poculum furoris sui. Poculum enim ruinæ, calicem iræ meæ ebibisti, & exinaniuisti: & non erat, qui consolaretur te ex omnibus liberis tuis, quos

*Esai. 61.*

*Esai. 54.*

*Esai. 50.*

pepe-

## EUSEBII HISTORIAE

peperisti, & non erat qui prehenderet manum tuam. Ecce  
 accepi de manu tua poculum ruinae calicem ire meae, & non ad-  
 iicies, ut amplius bibas illum, & dabo illum in manus eo-  
 rum, qui iniuria affecerunt te, & qui humiliaverunt te.  
 Surge, surge indue robur, indue gloriam tuam, excute  
 pulverem & surge. Abside, solue vinculum collitui,  
 Eleua undique oculos tuos, & vide congregatos filios  
 tuos. Ecce congregati sunt, & venerunt ad te. Vivo ego,  
 dicit Dominus, quia omnes illos, ut ornatum indues, &  
 circumpones eos, tanquam sponsa decorem. Quia loca  
 deserta tua & diruta & ruinosam iam angustam reddentur,  
 ab inhabitatoribus tuis. Et elongabuntur abs te, qui ab-  
 forbuerunt te. Dicent enim in aures tuas, filii tui,  
 quos perdidisti, angustus est mihi locus. facito mihi  
 locum ut inhabitem. Et dices in corde tuo. Quis genuit  
 mihi istos? Ego orba sum liberis & vidua. Istos quis e-  
 ducavit mihi? Ego relicta sum sola. Isti mihi ubi erant?  
 Haec Esaias antea vaticinatus est. Haec olim in sacris  
 literis de nobis tradita. Par autem erat istorum ver-  
 borum veritatem, iam tandem reipsa completam fore.  
 Porro eiusmodi voces sponsi verbi Dei ad suam spon-  
 sam sacram, & sanctam ecclesiam loquentis, merito iste  
 sponsae exornator Paulinus, Domum desertam, ruina  
 iacentem, ab hominibus desperatam, communibus om-  
 nium vestri precibus, manuumque vestrarum opera ad-  
 iuncta, adiutus, Dei omnium gubernatoris ope, & Iesu  
 Christi virtutis praesidio ei erexit excitavitque; taliq; rati-  
 one eam construxit, qualem ex sacrorum oraculorum de-  
 scriptione didicisset. Atque ut hoc certe miraculum maxi-  
 mum est, & supra omnem admirationem, his in primis, qui  
 soli externarum rerum viso & contemplatione animum  
 attendunt: sic illa archetypa, & exemplaria, quae primam  
 harum rerum speciem representant, mentemque sola perci-  
 piuntur, quae decora eximiaque sunt, renouationes dico  
 diuini & rationalis in animis nostris aedificii, omnia mira-  
 cula longe superant. Quod quidem aedificium ipse Dei fi-  
 lius ad suam ipsius effigiem fabricatus, omnino in omni-  
 bus partibus Dei speciem illi largitus est, & naturam im-  
 mortalem, corporis expertem, rationis participem, ab  
 omni

omni terrestri & concreta materia alienam, substantiam  
 sola mentis intelligentia cognita ei tribuens, semelq; in  
 initio ex eo quod non erat, in id ut esset efficiens, spon-  
 sam sanctam, & templum sacrum sibi ipsi, & patri suo archi-  
 tectatus est. Idemq; ipsum ille ipse perspicue suis verbis  
 ostendit: Sic enim loquitur: Inhabitabo in illis, & inam-  
 bulabo, & ero eorum deus, & ipsi erunt mihi populus.  
 Ac talis a deo in principio anima fuit, perfecta scilicet ac  
 sincera, utpote quae caelestis dei verbi imaginem vere  
 representavit. Verum ut primum daemone nefaria inui-  
 dia & aemulatione suo ipsius libero arbitrio, perturbatio-  
 nibus nequitiae se dederat, deus ab ea recessit: & pro-  
 pterea, tanquam patrono ac defensore suo destituta, fa-  
 cile capi, facile in eorum insidias venire poterat, qui tam  
 diu in eam a deo graui inuidia flagrassent. Itaq; testudini-  
 bus & machinis inimicorum, hostiumq; qui non oculis  
 cerni illi quidem, sed mentis acie solum percipi possunt,  
 obiecta, notabili ruina concidit: vsq; eò, ut lapis virtu-  
 tis super lapidem consistens non omnino permaneret in  
 ea, sed tota penitus humi prostrata tanquam mortua ia-  
 ceret, naturalibus dei notionibus omnino orbata. Eam  
 igitur, quae erat ad dei imaginem fabricata, delapsam vasta-  
 uit, non aper hic de sylua, qui sub aspectu nostro subiici-  
 tur, sed perniciosus daemon & agrestes belluae, quae co-  
 gitatione solum intelliguntur: quae quidem prauis affe-  
 ctionibus quasi ardentibus suae improbitatis telis illam incen-  
 derunt, itaq; igne, sacrum reuera dei concremarunt sanctua-  
 rium: In terraq; polluerunt tabernaculum nominis eius. Dein  
 de eam miseram magno aggere obruentes, in desperationem om-  
 nis salutis prorsus coniecerunt. verum hic curator eius, salu-  
 tatis dei sermo, splendor patris, illam ubi debita pro pecca-  
 tis suis luisset supplicia, iterum de integro incredibili patris  
 optimi erga humanum genus clementiae obsecutus in pristi-  
 num statum restituit. Rursus cum postea a diaboli ministris op-  
 pugnata esset, seruauit incolumem: ac primum imperatoribus  
 ac principibus sumis sanctissimisque sibi ascitis, eorum opera  
 vniuersum mundum omnibus impiis ac pestiferis hominibus,  
 atque a deo crudelibus & deo infestis tyrannis tanquam labe per-  
 niciosa, purgavit. Deinde vero viros, sibi cognitos, hoc  
 est iam-

2. Cor. 6.

Psal. 73.

EUSEBII HISTORIAE

est iam pridem ipsi per vitæ sanctimoniam consecratos, clam & occultè, tanquam in tristi & aspera persecutionis procella, ipsius protectione quasi integumento quodam opertos obductosque in lucem educens, & præclaris sacri spiritus donis perpulchre adornans, rursus animas paulo ante velut sordibus inuolutas, omni colluue & ingenti impiorum decretorum aceruo oppressas, per istos palis & lagonibus, hoc est acribus ad animum ferendum salutaris doctrinæ monitis effodit, expurgauit, absterfit: & ubi locum ac sedem mentis omnium vestrum splendidam & claram effecerat, de reliquo huic sapienti & pio præsidi concredidit: qui ut in aliis rebus tum ad iudicandum acutus, tum ad rationem, quid in quaque re agendum sit, ineundam, perspicax existit: sic in interiore animarum tanquam fortitò illi commissarum cogitatione recte discernenda & benigne disquirenda prudens & grauis: & à primo fere die hucusque in animo cuiusque sicut cuique accommodatum censuit, ædificare non aliquando cessauit. Interdum aurum fulgens, nonnunquam probatum & purum argentum eximios non raro ac preciosos lapides, ut sacram denuo ac mysticam suis erga vos officii compleret prophetiam, per quam dictum est: *Esai. 54* Ecce ego præparo tibi carbunculum lapidem tuum, & fundamenta tua sapphirum, & propugnacula tua Iaspidem, & portas tuas lapides Christi, & murum tuum lapides electos, & omnes filios tuos doctos à deo, & in multa pace liberos tuos, & in iusticia ædificaberis. Iusticia igitur ædificans, pro ratione totius populi suas distribuit facultates. Nonnullos exteriori ambitu ceu muro circumsepit, hoc est fide non ficta vndique munit: Cuius generis infinita est multitudo, quæ structuram magnificentiorum ferre non valet. Quosdam ad introitus versus templum inferius patentes admittit: illosque ianitores constituit ut homines in templum intromittant: qui sane tanquam templi vestibula non immerito putantur. Alios primis columnis aulam templi ad quadrati speciem extrinsecus ambientibus suffulcit, id est, intra prima literæ quatuor Euangeliorum quasi repagula introducit. Alios ad Sanctuarii septa collocat: nempe catechumenos

chumenos, & eos qui in incremento ac progressu fidei  
 versantur, quiq; ab intimis arcanisque mysteriis, quibus  
 perfecte fideles fruuntur, non longe separantur. Ex isto-  
 rum numero, eos, quorum animæ diuino lauacro instar  
 auri purgatæ sunt, omniq; macula vacuæ, assumit: atque  
 ex illis deinde, alios columnis interioris, ac mysticæ sa-  
 crarum literarum intelligentiæ, quæ sunt exterioribus  
 illis columnis multo splendidiore, sustentat: alios fene-  
 stris, per quas lumen sancti spiritus in corda infunditur,  
 mire collustrat. Porro vestibulo vno maximo, ad summi  
 regis & solius Dei gloriã, templum vniuersum decorat:  
 duas etiam secundas fenestras ad gloriam Christi, & spi-  
 ritus sancti eiusdem cum patre authoritatis ac potentię,  
 vtrinque construit. In cæteris totius templi partibus  
 illustria veritatis cuiusque sigillatim in fide nostra con-  
 tentæ indicia, & quasi notas ante oculos omnium statuit.  
 Præterea iste Paulinus vndiq; viuos in terra gradientes,  
 ac solidos animorum lapides deligens, amplam & rega-  
 lem domum, splendidam & plenam luminis ex omnibus  
 fabricauit. Ac tum interiores, tum exteriores eius par-  
 tes (quia non ex anima solum & mente, sed etiam ex  
 corpore constant) florido & insigni castitatis modesti-  
 æq; ornatu illustrauit. Insunt porrò in hoc tēplo throni,  
 sellæ infinitæ, & subsellia, quæ sunt animæ illæ, in quibus  
 diuini spiritus dona penitus insidēt: qualia quondã inter  
 sacros apostolos cernebãtur: quibus linguæ igneæ diuise  
 & dispersitæ apparuerunt, & singulæ in singulos eorum  
 resederunt. Sed sicut in omniũ vestri præside ipse Chri-  
 stus totus reuera confidet: sic in illis, qui secundas vir-  
 tutis post eum obtinent, singuli secundum proportionē  
 illius quod capere possunt, discretas Christi virtutis, &  
 spiritus sancti portiones assequuntur. Animę itē quorũdã  
 sunt sedes angelorũ, qui ad quęq; ipsorũ tum instituendũ  
 tum custodiendum assignantur. Augustum porrò, ingēs,  
 & vnũ altare, quid aliud significat, quàm purũ sanctũ fan-  
 ctorũ animi, qui est cõmunis oĩm sacerdos: cui ad dextrã  
 assistens magnus ipse totius orbis pontifex Iesus vnige-  
 nitus dei filius, & fragrans incēsum & precũ sacrificia, san-  
 guinis & cõeretę materię expertia, ab oĩbus læto aspectu,  
 & sa-

EVSEBII HISTORIAE

& supinis ac erectis manibus excipiens, cælesti patri, Deo omnipotenti offert, ipseque primus patrem adorat, & solus dignum decus tribuit ac venerationem: deinde ab eo sine intermissione flagitat, vt nobis omnibus benignus & propitius esse perseueret. Eiusmodi est immensum illud templum, quod per vniuersum orbem sub sole situm, magnus omnium rerum opifex Dei sermo fabricauit. Inque eodem effigiem gloriosi templi supra cæli globos positi, sola mente comprehensam inter homines accurate expressit: vt omnis creatura, animaliaque in terra rationis capacia, patrem ipsius vero honore & cultu afficeret: Qui etiam ipsam regionem supercælestem & loca ibi sita (quæ sunt exemplaria horum, quæ hic apud nos sunt) superioremque Hierusalem, cælestem montem Sion & ciuitatem excelsam Dei viuentis construxit: in qua innumerabiles angelorum turmae, & ecclesia primogenitorum, qui ciues in cælum ascripti sunt, laudibus & præconiis, quæ nec dicendo exprimi, nec cogitatione comprehendi possunt, suum creatorem, & omnium ducem ac moderatorem venerantur, Quem pro dignitate quis mortalis valet satis prædicatione celebrare? Nam nec oculus vidit, nec auris audiuit, nec in cor hominis ascenderunt ea, quæ præparauit Deus diligentibus se.

1. Cor. 2.

Quarum quidem rerum, quoniam Deus in hac etiam vita nos aliqua ex parte effecit participes, omnes pariter, viri vnà cum pueris & mulieribus, obscuro pariter & nobiles, vno spiritu, vna anima eius nomen confiteri, tantorum bonorum authorem laude prædicare nõ desistamus: Qui propitiatur omnibus iniquitatibus nostris, qui sanat omnes infirmitates nostras. Qui redimit de interitu vitam nostram, qui coronat nos in misericordia & miserationibus. Qui replet in bonis desiderium nostrum. Quia non secundum peccata nostra fecit nobis, neque secundum iniquitates nostras retribuit nobis. Quia quantum distat ortus ab occidente, longe fecit à nobis iniquitates nostras. Quomodo miseretur pater filiorum, misertus est Dominus timentium se. Hæc igitur & nunc, & in vniuersum tempus posterum, memoria renouantes, quin etiam causam huius celebritatis & splendide ac præclaræ diei, eiusdemque  
veluti

Psal. 102

veluti Coryphæum & ducem Deum noctes diesq; omni  
hora, omni denique vitæ cursu, quo spiritum ducimus,  
ante oculos mentis nostræ proponentes, totis animæ vi-  
ribus diligamus, veneremurq;. Et iam consurgentes, ma-  
gna interioris cogitationis ac desiderij nostri tanquam  
voce ei supplicemus, vt sub suo ouili nos perpetuo pro-  
tegat, conseruet, & æternam denique pacem, quæ nec ro-  
bore frangi, nec tempestate conquassari potest, nobis cle-  
mens impertiat, in Christo Iesu seruatore nostro, cui glo-  
ria in omnem æternitatem, Amen.

*Sequitur iam vt imperialia edicta per Constantinum &  
Licinium edita hoc loco citemus.*

*Imperatoriorum edictorum exemplar.*

C A P. V.

**C**Vm iam pridem religionis libertatem nemini denegandam esse, sed cuiusq; menti & voluntari potestatem permittendam, ritus & instituta diuina pro sua animi voluntate & arbitrio excolendi considerarem, mæ datum dedimus, vt cum singuli alij, tũ Christiani, suæ sectæ, & religionis fidẽ integrẽ obseruarent: Sed quoniam in eo rescripto, in quo eiusmodi illis concedebatur facultas, multæ sententiæ dubiæ & controuersæ inesse videbantur, quidam illorum propterea fortasse paulo post, præ metu ab illius obseruatione repulsi sunt. Quapropter cũ ego Constantinus Augustus, & ego Licinius Augustus prospero itinere Mediolanũ perueniremus, & omnia quæ ad vtilitatẽ & commodũ Reip. pertinebant, accurate disquireremus, ista inter cætera, quæ plebi vniuersæ perutilia videbantur maxime omnium decernenda existimauimus, quibus reuerentia & diuinus cultus cõtineretur: hoc est vt tum Christianis, tum aliis omnibus liberã optionẽ omnino daremus, eam religionem sequendi, quam ipsi in animos inducerent: quò quæcunq; sit diuinitatis & cælestis numinis potentia, nobis ac vniuersis, qui sub nostra ditione vitam degunt, clemens & propitia esse posset. Istam igitur nostrã voluntatẽ ac sententiam recta ratione ac cõsilio decidimus, vt nemini prorsus libertas negetur, Christianorũ obseruantia & cultũ imitandi, amplexãdiq;:  
Ee 2 & cuiq;

EVSEBII HISTORIAE

& cuique detur copia, suam mentē ei religioni addicēdi, quam ipse sibi maxime cōuenire censuerit : quò diuinū numen, in omnibus quæ molimur, consuetam curam, studium, & bonitatem in nos ostendat. De qua quidem voluntate nostra cōsentaneum fuit ad te rescribere, vt tum controuersæ illæ sentētiæ, quæ prioribus literis ad tuam pietatem missis de Christianis cōtinebantur, penitus tollerentur, tum ea quæ videbantur admodum seuera, & à nostra mansuetudine ac clementia aliena, omnino abrogarentur: atq; adeo iam quisq; eorum, qui induxerunt in animum Christianorum religionem obseruare, libere, minime fucate, & absq; vlla molestia aut perturbatione cuiusquam, hoc ipsum custodiat. Quæ quidem tuæ solertia plenissime significare decreuimus, vt intelligas nos liberam ac solutā Christianis facultatē concessisse, suam ipsorū religionē sedulo excolendi. Quod quoniam tua pietas perspicit, à nobis libere illis esse concessum, aliisq; etiam potestatē factā, eum obseruantia & religionis modū, quæ apud animū proposuerint cōsectandi, & nostrorum tēporum tranquillitati & quieti reuera accōmodatū esse, vt quisq; facultatē habeat deligendi, obseruādiq; eam in deo colendo rationē, quæ sibi maxime placuerit, hocq; à nobis factitatū esse, vt nullius honoris, nullius religionis authoritas à nobis vlla ex parte imminui videatur, tuarū partiū est prouidere, vt nemo impediatur, quominus suę professioni firme adhaerescat. Istud etiā præter cætera nominatim Christianis decernimus, vt loca eorū, in quæ ipsis in more positū erat, antea cōuenire (de quibus quidē rebus literis superioribus ad tuā sanctimoniam datis, alia formula eo tēpore à nobis erat definita & præscripta) si qui vel à questore nostro, vel ab alio quopiam ea emisse videātur, Christianis absq; argento, absq; vlla repetitione pretij, quod in illis emēdis collocauerāt, sine omni mora & dubitatiōe restituāt. Et si qui ipsa loca promunere fuerint adepti, vt ipsis Christianis quā celerrime reddāt: ac si qui ea aut coemerit, aut dono acceperint, aliquid à nostra bonitate postulēt, præfectūq; qui regioni, in qua habitant, præest, adeant, quò ipsorū etiam à nostra munificentia prouisio & cura suscipiatur. Quæ quidē omnia

*Restitutio  
locorū eorū*



nia Christianorū societati tuo studio & industria, exemplo, & sine vlla dilatione restituēda cures, oportebit. Ac quoniam ipsi Christiani non solū ea loca in quæ conuenire solent, sed alia etiam habuisse cognoscuntur, quæ nō priuatim ad singulos, sed ad ius totius ipsorū cōmunitatis, id est Christianorū spectabant, singulis, qui ea possident, mandes velim, vt omnia per legē, quā suprā posuimus, absq; vlla controuersia Christianis, id est societati ipsorum & conuentui reddant, modo ratio ipsa ante demonstrata sedulo conseruetur, nimirū vt illi qui sine repetitione pretij, sicuti antea diximus, ea restituāt, suas res & facultates absq; damno à nostra beneficentia cōpensatas fore pro certo expectent. In quibus omnibus prædictæ Christianorū cōmunitati, studium & diligētiam pro virili tua parte vel maximā adhibere debes, vt nostrū ciuitissime conficiatur mandatū, quò ad hunc modū cōmuni & publicæ tranquillitati à nostra benignitate recte prospiciatur. Nam hac ratione, sicuti dictū est, diuinū erga nos studiū, quod in multis iam rebus experti sumus, perpetuò nobis firmum ac stabile permanebit. Vt igitur huius nostræ sanctionis & beneficentiæ decisio ad omnium notitiam perferatur, has nostras literas vbiq; proponi, & in cuiusq; cognitionem venire consentaneū est, quò lex à nostra clemētia sancita neminē omnino latere possit.

*Exemplar alterius edicti quod ab imperatoribus factum est, vt suam beneficentiam, erga solam ecclesiam catholicam ostentatam perspicuè omnibus significarent.*

Salue Auilīnē nobis in primis venerande. Est hæc nostræ clemētiae ratio & modus Auilīnē honoratissime, vt illa quæ ad alienū ius pertinet, non solū non perturbare, sed etiā cuiq; restituere quàm maxime cupiamus. Quare volum⁹ vt simul ac hæc literas à nobis acceperis, si quæ, ex his possessionibus quæ ad catholicā Christianorū ecclesiam in quibusq; ciuitatibus aut aliis locis pertinent, etiā adhuc à ciuibus, aut ab aliis quibusdā retineātur, eas quàm primū iisdē ecclesiis facias restitui. Quandoquidē animo instituimus, vt ea quæ ecclesie antea possiderunt, ad ipsarū ius dēnuo reuertantur. Cū igitur tua pietas animaduertat decretū hoc absq; dubio de nostra sentētia esse publicatū, enitere atq; elabora, vt siue horti siue cedes

## EUSEBII HISTORIAE

sive aliud quodcunque aliquando ad ius ipsarum ecclesiarum spectauerit, omnia illis quam celerrime reddantur, ut te huic nostro edicto diligentissimum obsequium praestitisse intelligamus. Vale Auilinae honoratissime, nobisque charissime.

*Exemplar epistolae Constantini imperatoris, per quam  
episcoporum concilium Romae praecipit fieri, pro  
ecclesiarum unitate & concordia.*

*Constantinus Augustus Miltiade episcopo Romano, et Marco. S.*

**Q**uoniam eiusmodi literae complures, ab Auilino clarissimo Africae praefectus ad me missae sunt, in quibus constat Cecilianum episcopum ciuitatis Carthagenensium a quibusdam collegis suis in Africa ordinatis episcopis, multis de rebus in crimen vocari, & illud per mihi molestum videtur, ut in his prouinciis, quas diuina prouidentia ultro ac sua sponte sub meum subiuerit imperium, & in illis locis in quibus crebra hominum frequentia versatur, non modo multitudo ad deteriora defleat, & distrahitur dissidiis, sed episcopi etiam, discordiam inter se ipsi exerceant, visum est mihi ut idem Cecilianus cum decem episcopis, qui illum reum facere videntur & decem aliis, quos ipse suae diiudicationi necessarios existimauerit, Romam nauigio traiciat, ut ibi coram vobis, & Rhetecio etiam, & Materno & Marino collegis vestris (quos ea de causa Romam maturare iusserim) possit audiri, sicut sanctissima Dei lex, uti nostis, postulat. Atque ut de omnibus hisce plenissimam accuratissimamque notitiam possitis habere, exemplaria literarum ad me ab Auilino missarum, literis meis subscripta, ad vestros praedictos collegas misi. Quas cum vestra grauitas perlegerit, exquisite ponderabit, quo modo quae ratione lis illa, quam supra diximus, diligentissime rectissimeque dirimatur, & ex iuris praescripto tandem aliquando absoluitur. Quandoquidem illud vestrum studium minime latet, me tantam reuerentiam sanctae & catholicae ecclesiae tribuere, ut velim vos nullum generale schisma, nullam discordiam in vilo loco omnino relinquere. Summa magni Dei maiestas vos honoratissimi viri multis annis conseruet.

*Exemplar*

*Exemplar epistolæ Imperatoris, per quam iubet secundum concilium fieri, pro omni inter episcopos discordia tollenda.*

*Constantinus Augustus Chresto Syracusanorum episcopo S.*

**I**amdudum cum nonnulli improbo & peruerso animo à sancta religione & cœlesti euangelii doctrina ac potentia, & à catholica ecclesiæ opinione desciscere cœperint, cupiens equidem eiusmodi lites & controuersias inter vos ortas dissoluere, ita scripsi, vt missis à Gallia quibusdã episcopis, quinetiam ex Affrica aliis aduersarũ partium accersitis, qui inter se maxima cum pertinacia & animorum contentione digladiãtur, & episcopo Romano etiã coram, hoc dissensionis, quicquid videatur, possit illis presentibus, accurata diiudicatione in rectã viam reduci. Verũ quoniam (sicuti vsu venit) quidam tũ suæ salutis, tum veri cultus, qui sanctissimæ Christi religioni debetur, penitus obliti, adhuc priuatas inimicitias exercere & graues simultates gerere non desinunt, dum nolunt aut concilii iudicio iam facto acquiescere, dumque definite affirmant, paucos admodum fuisse, qui suas ipsorum sententias palãm in concilio proferebant, iiq̃ ipsi cum non omnia quæ ante queri debuerant accurate quesita essent, ad iudicium dandum propere & valde celeriter festinabant, atq; ex his omnibus ea fieri contigit, vt tũ illi ipsi quos fraternũ & concordẽ animorũ cõsensum, inter ipsos retinere oportuerat, turpi imo nefaria & impia dissensione discordent, tũ aliis hominibus, qui mentes à sanctissima religione alienas habent, ansam ludibrii & irrisionis præstet, idcirco mihi sedulo prouidẽdũ erat, vt istud, quod post iudicium antea pronũtiatũ, sua spõte componi & tranquillari debuerat, etiam iã tandẽ multis presentibus episcopis exitũ & finẽ cõsequatur. Proinde quoniã plurimos episcopos ex locis diuersis & prope infinitis in urbem Aretalesiorũ ad Calendas Augusti conuenire mandauimus, tibi etiam per literas significandum putauimus, vt accepta rheda publica à clarissimo viro Latromiano Siciliae cõductore, duobus itẽ aliis episcopis ex secunda sede, quos tui ipse tibi maxime deligendos iudicaueris, tibi in societate ascitis, quinetiã tribus famulis,

EVSEBII HISTORIAE

qui vobis inter vias ministrēt, assumptis, ad eū diē in loco præscripto aliis occurras: quo per tuā gravitatē, & cōsentientē sententiā reliquorū, qui eō coeāt, hoc dissidiū, quod hætenus improbe, ob turpes & scelestas concertationes cōtinuatū fuerit, simul atq; ea quæ ab vtraque factione episcoporū (quos similiter adesse mādauimus) audita fuerint, possit, licet sero, ad debitam religionem, fidem & fraternam concordiam aliquando reuocari. Deus omnipotens in multos annos te nobis seruet incolumē.

*Exemplar epist. olæ imperatoris, per quam pecuniæ ecclesiis donate fuerunt.*

*Constantinus Augustus Ceciliano episcopo Carthaginensi. S. De pecuniis, ecclesiis à Constantino donatis.*

CAP. VI.

QVoniā visum est nobis per oēs prouincias Affricæ, Numidiæ & Mauritanix certis quibusdā legitime & sanctissimæ religionis catholicæ ministris in sumptus cōmunes aliquid suppeditare, literas ad Vrsū virū nobilissimū Questorē nostrum in Affrica dedi, & ei signifi-

Επιρῆανι<sup>ο</sup> de  
νευσυρισ &  
ονδεριβυς  
ρῶλης ὁ  
Γαλάντιου  
ταλέται  
Νισλουῦν δὲ  
Σίνωδ' ὄνο  
ἰργύρω.  
συγκείμε  
ορ ὅτι γιν  
όντα σῆ  
ἡνύξια  
ρόλης δ' ὄνο  
επται, κα

caui, vt tria millia φῶλεις tuæ gravitati numeranda curaret. Tu igitur quando prædictā pecuniæ summā recipiendam curaueris, omnibus, qui in scheda ad te ab Olio missa ante scripti sunt, has pecunias dispertiri iubeto. Quod si aliquid ad istud meum in hac re erga omnes hos institutū cumulate explendū deesse animaduertas, ab Heraclida nostrarū possessionū procuratore, audacter & absq; hæsitacione, quod necessarium fore putaueris, postules velim. Nā illi corā imperaui, vt si quid pecuniæ tua grauitas ab eo peteret, absq; dubitatione vlla tibi numerandū curaret. Et quoniā accepi quosdā homines nō animo satis rectè cōposito & cōstituto, populū à sanctissima & catholica ecclesia mala & perniciofa corruptela velle auertere, scias velim me Auilino procōsuli, quin etiā Patricio præfectorū vicario, eū præsto apud me essent, talia mandata dedisse, vt eum in reliquis omnibus tū in hoc maxime curā diligentē ponerent, & ré eiusmodi, si fortè acciderit, nullo modo negligenter. Quapropter si quos homi-

ἀ τὸν δ' ἡναρισμόν αὐτῶν, οὐ κατὰ τὸν ἀργυρισμόν.

*επιρῆανις habet grosso. anglic. summa. 27000. li. 1575. marc. anglic.*

homines in eo furore & amentia inhærescere perspicias, abiecta omni cunctatione, iudices quos dixi adito, & hoc idē illis referto, vt illi in hos, sicut corā mādaui, animaduertāt. Dei opt. max. numē te in multos annos cōseruet.

*Exemplar epistolæ Imperatoris, per quam ecclesiarum præfatos, ab omni ciuili & communi Reip. administratione immunes esse mandat.*

*Salue Auilinae nobis cum primis obseruande.*

*De clericorum immunitate. CAP. VII.*

**Q**uoniam multis argumentis constat religionem, in qua summus & perfectus cultus sacrosanctæ & cœlesti dei potentie debitus omnino consistit, neglectam & contēptam magna pericula Reip. attulisse, eandemq; sancte augustinusq; obseruatam, tum maximam Romano nomini ac splendori prosperitatem, tum eximiam omnibus hominum rebus felicitatem (diuina beneficentia illud largiente) apportasse, visum est vt illi homines, quā debita cum sanctimonia, & assidua legis diuinę obseruatione, sua ministeria huic diuinę religioni excolendæ impertiant, Auilinae honoratissime, pro laboribus suis digna premia reportent. Quare eos, qui in prouincia tuæ fidei concredita, in ecclesia catholica, cui Cecilianus præest, huic sanctæ religioni sedulo inseruiunt (quos clericos nominare solent) ab omnibus omnino cōmunibus & ciuilibus Rerumpub. ministeriis immunes ac solutos volo, vt nullo modo per errorem vel per sacrilegam ac profanam prolaptionem, quæ in huiusmodi negotiis accidere solent, à cultu diuinę maiestati debito abstrahantur, sed absque vlla molestia propriæ legi obsequium præstent. Qui quidem cum sacrū numen summo honore & veneratione prosequantur, incredibile est, quantum Rebuspub. adiumenti videantur allaturi. Vale Auilinae venerande.

*De secunda Licinii malignitate, & eius morte.*

*CAP. VIII.*

**E**tiusmodi nobis beneficia diuina & cœlestis gratia seruatoris nostri benigne in nos intuentis tandem tribuit? Tanta item bonorum affluentia omnibus hominibus ex pace nobis restituta, suppe-

*Immunitas  
Clericorum*

## EUSEBII HISTORIAE

suppeditata est: atq; ad hunc modū ecclesia magna exultare letitia & insigni celebritate triumphare cœpit. Verū neq; inuido hosti probitatis, omnifq; impietatis fautori diabolo, spectaculū istarū rerū, quæ cernebantur, tolerādū videbatur. Neq; itidē Licinio calamitofī vitæ exitus, qui tyrannis supra demonstratis obtigerant, satis exempli ad modestiā & moderationem animi excolendam dederunt. Qui cū imperiū suū prospere & ex animi sententia sibi succederet, & secundas in honore post Constantinū magnū obtinuisset, & vir sororis factus esset, & summa propinquitate dignatus, relicta præclarorum hominū imitatione, perditos impiorū tyrannorū mores emulatus est: & quorū miserū vitæ exitū oculis conspexisset, eorū perditā mentem sequi maluit, quā in constante vita præstabiliore, amore & amicitia acquiescere. Invidia nāq; cōtra Constantinū summū suum patronum inflammatus, nō naturæ leges reueritus, nō iusiurandi, non sanguinis, nō fœderū recordatus, pestiferū cōtra eū & crudele bellum excitat. Etenim vt Constantinus tanq̄ optimus & clementissimus princeps, quō in eū veræ benevolentie indicia declararent, suam ipsius cognationē illi nō inuidit, illustres nuptias sororis non denegauit, paternæ etiā cognationis, regiiq; sanguinis antiquitus ducti compatē fieri voluit, omniū imperio tanq̄ affini & totius regni consorti perfruendi potestaté tribuit, nec minorem inferioremve partem nationum Romanorū ditioni subiectarū procurandam administrandāq; concessit: sic iste vicissim contraria his omnibus admittere, omnes machinas quotidie cōtra superiorē suū excogitare, omnes insidiarum vias peruestigare cœpit, vt malefactis benefacta patroni sui cōpensaret. Primū igitur perditum contactū suum occultare molitus, amicū se Constantini esse simulauit: ac dolo & fraude rem sæpenumero aggressus facillime, quod expectabat, se consequuturum sperauit. Verum Deus Constantino amicus fuit, curator eius, & custos beneuolus, qui insidias in occulto & obscuris tenebris ei comparatas in lucem eduxit, easq; patefecit. Tanta igitur sunt & tam firma pietatis arma, vt non solum ad depulsionem hostium, sed etiā ad salutis nostræ propu-

propugnationem satis habeant præsidii. Quibus quidem sanctissimus imperator noster præclare septus, multiplices & callidas hostis exécrabilis insidias euitauit. Licinius deinde, vbi suos clandestinos conatus neutiquã ex animi sententia procedere vidit (Deus enim omnem dolum, ac fallaciam, pio imperatori aperuerat) cum amplius facinus celare non posset, bellum palam mouet. Ac dum cum Constantino prælium inire cogitabat, iam etiam contra Deum omnium moderatorem, quem norat Constantinum colere, acie instruere instituit. Deinde pios homines ipsius imperio subditos, qui nõquam eius regnũ vllõ afficere commodo in animum induxissent, peditentim & occulto oppugnare conatus est. Atque grauius à sua sibi insita prauitate delinquere compulsus, hoc facinus consciiuit. Neq; igitur illos, qui ante eum Christianos fuissent persecuti, ante oculos statuit, neq; quos ipse propter impia eorũ scelera neci dedisset, debitoq; affecisset supplicio, memoria tenuit: Sed à recta ratione & pacato mentis statu deturbatus, & animi furore plane exagitatus, contra deum ipsum Constantini propugnatorem, Constantini loco, quẽ propugnabat, bellum gerere decreuit. Ac primum Christianũ quẽq; ex ædibus suis eiicit, & sic infelix iste præcibus eorum ad deum pro se fufis, quas pro omnibus etiam enixe fieri patria illorum, & auita disciplina postulat, se penitus orbauit. Deinde milites Christianos in singulis ciuitatibus ex aliorum militum numero eximi, eosq; si non sua sponte dæmonibus immolare instituerent, de dignitatis gradu deiici, mandat. Cæterũ ista exigua quidẽ sunt, si cũ maioribus eius sceleribus collocatione quadã cõparentur. Sed quid attinet sigillatim res ab isto dei aduersario gestas cõmemorare, quo pacto legũ violator maximus, leges impias parũq; legitimas excogitarit: In eos enim qui carceribus affligebantur, legẽ tulit, ne quis clementia adductus, quicq; alimenti illis impetiret, neue eorũ misereretur, qui in vinculis fame enecti erãt: neq; quẽcũq; oĩõ illorũ, qui ab ipsa natura trahebãtur, ad proximorũ cõmiserationẽ, vel in bonorũ numero haberi debere, vel boni quicq; agere cõsult. Atq; hæc inter leges suas egregie impudẽs, & planẽ crudelis fuit, vtpote

quæ

EVSEBII HISTORIAE

quæ omnē humanā & mansuetam naturam ex animis hominum penitus exturbauerit. Per quam idem supplicium illis qui commiserabantur afflictos decernebatur, quod illi perpessi fuerant quos commiserabantur, perque eandē iubebatur, ut qui benignitatis aliquid in eos, qui in carcere torquebantur cōferrent, in vincula & custodiam coniecti, parē pœnam cum illis subirent. Talia fuere Licinū decreta. Quid præterea attinet eius de nuptiis contrahendis innovationes enumerare, novas de his, qui vita decesserant sanctiones persequi, quibus veteres Romanorū leges præclare & eximie promulgatas refringere ausus est, & barbaras quasdam immanes, iniquas reuera & iniustas leges in earum locū inducere? Quid infinitos etiam modos & rationes cōmemorem, quas ad gentes sibi subiectas opprimendas excogitavit. Quid varias cuiusque generis auri & argenti exactiones, quid terræ dimensiones, quid dānosum quæstū, quem ex hominibus agricolis, quibus nō amplius vita suppeditabat, sed iā pridē fuerant morte extincti, facere non dubitavit, oratione complectar? Quid exilii genera persequar, quæ iste humani generis hostis contra innocētes inuenit? quid falsas criminationes, quas contra patritios & nobiles homines confinxit recēseam? Quorū teneras vxores vi ab ipsis abreptas, quò eas turpis flagitij ignominia deformaret, scelerstis & perditis seruis abutēdas tradidit. Quid dicā de mulieribus in matrimoniū collocatis, in quas iste decrepitus senex impetum fecit? Quid virgines adulescentulas enumerē, in quas, quò effusam & intēperantē animi sui libidinē expleret, cōtumeliose insultavit? Quid in istis narrandis prolixū sermonē instituere opus est, cū postrema eius facinora adeo extra omnē modū prodierūt, ut prima exigua esse & ppe nulla cōuincātur? Exitus enim illi<sup>9</sup> furoris in episcopos grassatus est: & istos utpote dei omnium moderatoris famulos, suis conatibus, quos moliebatur, reluctaturos arbitratus, quamquā nondū velut aperto Marte, propterea quod superiorē imperatorē pertimescebat, clā tamē & dolose machinas cōtra eos cōparauit, & per insidias à præfectis suis in eos factas illorū facile spectatissimos è medio sustulit. Ac modus & ratio cædis, qua in illos usus est, peregrina, & antea nunquā vlla seculorum



lorū memoria audita, Quę porro apud Amasiā, & reliquas ponti ciuitates ab eo patrata sint, omnē crudelitatis modū lōge superāt. In quo loco quādā ecclesiarū dei ē sublimi deiectæ sunt, soloq; adæquatæ: aliæ autē occlusæ, ne quisquā eorū, qui eas frequētare cōsueuerūt, eò cōmeet, nēue debitos deo ibi cultus impertiat. Nō enim putauit pro se illic præces deo offerri, vtpote quę mala cōsciētia in eā opinionem induxisset, sed nos pro pii imperatoris Cōstantini incolumitate, omnia exequi, & deū orationibus pro eo placare persuasum habuit. Vnde omnē furoris sui impetū in nos intorquere statuit. Præfecti igitur qui assentionibus dediti erāt, se gratū impuro tyranno facturos rati, quosdā episcopos more hominū maleficorū (qui enim nihil mali cōmiserāt, absq; causa erant tanquā ficarii ad pœnā abducti & grauiter multati) acerbis suppliciis affecerūt: alii iā corpore in multas particulas dissecto, nouū mortis genus & vitæ exitū sustinuerūt: & post crudele illud horrendumq; spectaculū, quò à piscibus deuoraretur, in altos maris gurgites erant præcipitati. His accesserunt piorū virorū fugæ: quinetiā ex dei seruis alij in agros, nōnulli in solitudines, quidā in syluas se abdiderunt, non pauci ad montes se contulerunt.

*De Cōstantini victoria, & iis, qui per eum in Romanorum dittonem venerunt. CAP. IX.*

**V**bi igitur sceleratus tyrannus ista ad hunc modum succedere animaduertit, de reliquo cōtra omnes Christianos persecutionē cōmouere in animum induxit. In qua re certe voti cōpos fuisset, & nihil ei fuisset impedimēto, quo minus in instituto opere processisset, si deus seruorū suorū ppugnator nō celerrime, vti quod futurū erat præuenteret, famulum suū Cōstantinū, tanquam splendidum quoddam lucis iubar, in obscuris tenebris & caliginosa nocte de improviso apparens, tum liberatorem omnibus excitasset, tum in brachio excelso in ea loca in quibus tyrannus versabatur, quasi manu duxisset. Cui quidē trophæa victoriæ contra impios, quasi fructum ipsius pietati debitum cælitus largitus est. At sacrilegum illum & nefandum tyrannum Licinium, vnā cum cōsiliariis omnibus & amicis sub Cōstantini pedib⁹ prostrauit. Nā vbi ei⁹ insania ad extremā ruit demētiā,

## EVSEBII HISTORIAE

imperator deo charus non amplius ferendum putauit,  
 sed modesta animi ratione rem reputans, & seuerá æqui-  
 tatis regulam cum humanitate & clementia temperans,  
 propenso studio eos qui tyrannidis iugo misere oppri-  
 mebantur, mature iuandos censuit. Atque infinitum ho-  
 minum genus, paucis nefariis hominibus tanquã quibus-  
 dam corruptelis è medio sublatis, incolume seruare ag-  
 greditur. Nam cum ipse sola humanitate temporibus an-  
 teregressis vsus fuisset, & Licinium qui nulla cõmiseratio-  
 ne dignus, erat commiseratus, ei utpote à prauitate neuti-  
 quam decedenti, sed potius rabiem suam contra gentes  
 sibi subiectas augenti, nihil omnino profuit. Atque illis,  
 qui ab immani illa bellua diuexabantur, nulla fuit salutis  
 spes relicta. Quapropter iste bonorum adiutor & patro-  
 nus, nequitia odium cum amore virtutis permiscens, si-  
 mul cum filio Crispo imperatore humanissimo, salutari  
 dextra omnibus, qui propè perierant, porrecta & ostenta,  
 contra tyrannum proficiscitur. Pater simul ac filius  
 deum patrem rerum vniuersarum rectorem, & dei filium  
 omnium seruatoré, ducé auxiliatorémq; adepti vndique,  
 acie contra impios circumiecta & disposita, perfacilem  
 reportant victoriam: hostesq; vniuersos in dimicatione  
 illa dei ope, ex animi sententia profligant. Quocirca de  
 repete, & pene dicto citius, qui heri & nudiustertius mor-  
 tem & terrorem spirabant, non amplius superferunt, imo  
 ne minimam quidém nominis sui memoriã post se relique-  
 runt: tituli autém eorũ & honoris insignia debita ignomig-  
 labe aspersi. Ac quæ Licinius impiis iam dudũ tyrannis  
 obrigisse oculis aspexisset, eadém pari ratione cũ illis per-  
 pessus est: idq; merito. Nam neq; disciplinam admittere  
 voluit, neq; proximorum flagellis admonitus, sapere ali-  
 quando didicit. Per similem igitur cum illis impietatis  
 viam persecutus, ad per simile etiam cum eisdém calamita-  
 tis præcipitiũ non sine causã ruit. Atq; iste hoc modo tã-  
 dem percussus & profligatus decubuit. Constantinus au-  
 tem victor, omni genere pietatis ornatus, vnã cum filio  
 Crispo imperatori e deo charissimo, & patris rebus in om-  
 nibus simili, oriënté in suã redegit potestaté, atq; Romano-  
 rum imperiũ, sicut iã olim fuerat, in vnũ redegit, & regnũ  
vniuerium

vniuersum à sole oriente vndiq; ad extremas occidentis  
 oras, & ad alteras vtrasq; mundi plagas, Boreá parit, &  
 meridiem cum tranquilla pace obtinuit. Proinde metus  
 tyrannidis, qua antè premebatur, tum ex hominú vita  
 prorsus sublatus fuit, tunc frequentes conuentus acti, tunc  
 festi dies celebrati: tunc omnia læticia redundarunt: tunc  
 qui ante demissa & contracta fronte erant, hilari vultu, &  
 læto oculorú obtutu aspexerunt: tunc choreis, tunc hym-  
 nis tam per singulas ciuitates, quam per agros, primú om-  
 nium regé esse, huncq; reuera esse prædicarunt: deinde  
 piú imperatorem ac liberos deo in primis charos laudi-  
 bus extulerunt. Tunc veterum nulla recordatio malorú,  
 tunc omnis impietatis obliuio, tunc suavis præsentium  
 bonorú vsus & oblectatio: tunc iucunda expectatio futu-  
 rorum: tunc deniq; non decreta solum imperatoris vi-  
 ctoris illustrissimi, plena humanitatis, plena clementiæ,  
 verumetiam leges, eximia magnificentiæ illius & veræ  
 pietatis indicia complectentes, in locis quibusq; diuul-  
 gatæ. Sic ergo pestifera totius tyrannidis labe purgata  
 deletaq;, Constantinus solum & liberi, imperij iure ad ip-  
 sos pertinentis gubernacula, auctoritate & præsidio fir-  
 ma, inuidiæ ac metus expertia deinceps possederunt.

Qui quidem simul atque principio regni infestis Dei ho-  
 stes è mundo sustulerant, Deum bonorum quibus frue-  
 bantur authorem vere agnoscentes, singulare virtutis &  
 pietatis studium, verum diuini numinis cultum & gr-  
 tiarum actionem, quas ei pro beneficiis debe-

bant, per sanctiones & edicta pro

Christianis edita, palam

ac perspicue com-  
monstrarunt.

*Finis decimi libri.*

*Sit Deo honor & gloria.*

174

174

Faint, illegible text, likely bleed-through from the reverse side of the page. The text is arranged in several paragraphs and appears to be a formal document or letter.